Viro clarissimo Polychronio Demetrio ... gratulatur ... Ernesto Gottlob Bose ... collegium disputatorium / interprete Justo Godofredo Apelio ... De morbis e sanguine male proportionato oriundis.

Contributors

Apel, Just Gottfried, 1744-
Bose, Ernst Gottlob, 1723-1788.
Demetrius, Polychronius, 1752-

Publication/Creation

[Lipsiae] : [Ex Officina Langenhemia], [1778]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/z38uczfj

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

27

VIRO CLARISSIMO

POLYCHRONIO DEMETRIO

THRACI

MEDICINAE BACCALAVREO

SVMMOS IN MEDICINA HONORES

GRATVLATVR

VIRI MAGNIFICI

D. ERNESTI GOTTLOB BOSE

ANAT. ET CHIRVRG. P. P. O.

COLLEGIVM DISPVTATORIVM

INTERPRETE

IVSTO GODOFREDO APELIO

LIPSIENSE

MEDICINAE BACCALAVREO

De Morbis e Sanguine male proportionato oriundis.

LIPSIAE D. XXV. SEPT. MDCCLXXVIII.

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

VIRO CLARISSIMO

FRIDERICO DIMITRIO

THRAEO

MEDICINAE BACCALAUREO

SUMMOS IN MEDICINA HONORES

CONSECUTURO

VIRI MAGNIFICI

D. TEMPERTI GOTTLOB BOSE

ANTI-ECLAMPSIA P.

COLLEGIUM DISSERTATIONIUM

INSTITUTE

IVSTO GOSOFREDO ADELIO

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACCALAUREO

FAUSTA SUBMITTUNT

LITERAE D. XXV. SEPT. MDCCLXXVIII.

EX OFFICINA LANGENHEIM.

Ex chylo ſanguinem, ex hoc vero omnes alios viui corporis humores, praeparari conſtat; atque hinc copia ſanguinis partiumque illum conſtituentium mutatis, humores etiam mutar ineceſſe eſt; fieri hinc poteſt, vt praeternaturalis corporis diſpoſitio actiones eius laedens oriatur, quae morbi nomen habet.

Sanguinem vero diuerſis ex partibus, aqua vtpote, aëre, ſalibus, oleo, terraque componi Chymia docet, quarum vel abundantia, vel defectus, ſtatum praeternaturalem producit.

Vitium ſanguinis in copia aeque ac inopia conſiſtere poteſt. Quod ad abundantiam boni humoris, functiones laedentis attinet, plethoram hanc dicunt; notum autem eſt non omnem ſanguinis quantitatem, ad plethoram referendam eſſe, niſi ſit maior quam functiones corporis requirunt ſanitasque patitur.

Fieri vero nequit, vt determinata ſanguinis menſura corpori cuicunque tribuatur, defectus nimirum aut exceſſus aliquot vnciarum, merito nihili aeſtimatur, ac quae in vno corpore ſuperflua videri poſſit, ea in alio forte grandiori, vaſisque maioris luminis praedito, inter vacuitates fere cenſetur.

Status, quo maſſa ſanguinis ipſa vitiata et inquinata eſt, plethorae ſpuriae nomine venit; veteribus plethora alia erat ad vaſa, ad vires itidem alia, priorem obtinere dicunt, dum ſucci mediocris qualitatis, ſupra iuſtam, naturaeque congruentem maſſam, ſine magno tamen incommodo accumulantur; cum poſteriori vero magna coniunxere incommoda.

Ad humani corporis conſeruationem praeter nutritionem quoque requiritur vt, quae ſuperfluae et ad nutritionem inutiles ſint partes, ope excretionum eiiciantur, ne humorum copia forte plus iuſto augeatur. In retentione etenim partium, ex ſanguine eliminandarum, verae plethorae cauſae cernuntur.

Qui corpori ſufficientem motum recuſare ſuſtinent, impediunt ſe et excretiones, efficiuntque, vt ſanguis, quod non

ſatis reſoluitur, et depuratur, neceſſario accumuletur; ii quoque ad plethoram procliues ſunt, qui alimenta bonae notae, nimia in copia ingerunt. Etſi enim ea in ventriculo rectiſſime coquuntur, tantam tamen ſibi praeparant ſanguinis quantitatem, quae in corporis vſum impendi nequeat. Augetur vero imprimis ſanguinis copia, ſi in vaſis lacteis magna ineſt vis contractilis, qua chylus copioſe inſugitur et per ductum thoracicum ad ſanguinem deuehitur.

Ad plethoram inclinant quoque ſanguinei temperamenti homines. Sunt hi animo alacriori, ſomno dediti, remotiores a vehementioribus pathematis, facileque digerunt, in quibus omnibus videre licet rationem, cur in his iuſto maior copia ſanguinis paretur.

Effectus plethorae in corpore humano facile ſunt obuii. Si ſanguinis nimia ſit copia, cor atque arteriae, huic liquori aequabiliter diſtribuendo non ſufficiunt, inde motus humorum tardior, minusque velociter ad organa ſecretoria deferuntur, ſanguinisque ſpiſſus difficilius reſoluitur. Hinc orgasmus ſanguinis, motum inteſtinum augens, dilatatio tandem vaſorum ſeroſorum atque lymphaticorum. Ob hanc expanſionem globuli rubicundi facilius in vaſa maiora ſe inſinuant, nec tam facile ex illis recedere poſſunt accedente imprimis refrigeratione, quoniam fluidum rubicundum craſſius eſt lympha, atque ſero. Surgunt porro inde ſtaſes, inflammationes, febres atque ſpasmi; maiora vaſa tenſa comprimunt adiacentia et cerebrum, ſanguinis circulatio praepeditur, naſcitur hinc capitis dolor, hebetudo ſenſuum, preſſio neruorum, perturbatio itineris neruei fluidi, pronaque via ad apoplexiam et epilepſiam. Et cum fluidum nerueum motum muſcularem plurimum promoueat, illo perturbato, aut minori in copia ſeparato, hic quoque impeditur, vnde ſenſus grauitatis, artuumque ponderis, taediumque ad functiones perficiendas.

Vaſa pulmonalia in plethoricis, nimio ſanguine repleta, praecordiorum anxietates, impeditamque reſpirationem reddunt, diu nimirum in pulmonibus retinetur ſanguis, ac egreſſus e pulmonum veſiculis aëris quoque prohibetur. Haemorrhagiarum

quoque

quoque origo ex plethora deriuanda eſt, ex quibus ſubitanea mors accidit, quod vaſa iuſto robore deſtituta, impetui reſiſtere ſatis nequeunt, facile tandem rumpenda.

Exiſtunt quoque accumulationes humorum ſaepius in locis quibusdam praecedente vaſorum debilitate, quae robore humoribus propellendis ſufficiente deſtituta, hos ſpiſſos efficiunt, aegre per minora prorumpentes vaſa. Naſcuntur hinc obſtructiones, ſtagnationes, inflammationes, ſequelae nimirum eiusmodi accumulationis ſeu congeſtionis; aliae quoque praeterea patent ſequelae, ad quas vaſorum diſtenſionem, neruorum compreſſionem, conſtrictionem vaſorum, frigus denique, iure reuuleris. Capiti proximae congeſtiones, neruos eorumque fluidum, irritant, vnde facilis paralyſis, vertigo, apoplexia reliquaque profluunt.

Comitantur grauiores morbi vaſorum vacuitatem, quam Κενεαγγείαν dicunt, oritur haec, ex bonae nutritionis defectu, ieiuniis diuturnis, excretionibus nimiis humorum, diaetaeque vitio, etc. vnde menſtruorum reſoluentium defectus ex defectu bonae praeparatae bilis, ſucci pancreatici, gaſtrici. Obſtructis vaſis chyliferis nec chylus generari, nec nouus ſanguis parari poteſt, quo ſic deficiente functiones corporis humani impediantur oportet, male eodem nutrito vigor perit, male elaboratum nerueum fluidum, ſpasmos, aliosque motus inordinatos ciet, humores praeterea redduntur acriores, itaque cacochymia naſcitur, diuerſae ex diuerſis cauſis denominationis.

Aqua commixta lympha et ſero potior ſanguinis pars eſt conſtitutiua. Aluminis inſtar in aqua calida coagulatur, ſponte ſeſe ſeparat ex ſanguine e vena hominis ſani emiſſo; ſerum contra ita non coagulatur, lympha eſt tenuius, cum qua ſemper eſt commixtum. Maior abundantia, vel minor quoque ſtatum praeternaturalem efficit. Inſignior enim partium aquoſarum quantitas, vaſa debilitat, viſcera robore priuat, ſicque atoniam producit, dilatantur praeterea nimis lymphatica et ſeroſa vaſa, quorum vis contractilis perit. Itaque ſerum ſtagnat viſcidum, fiunt congeſtiones, quas tumores oedematoſi, hydrops, anaſarca, deficiens calor, aliaque incommoda excipiunt. Deficiente contra partis aquoſae iuſta quantitate, ſanguinis fluxus retardatur,

datur, humorum circulus impeditur, qui viſcidi fiunt atque ſpiſſi; patiuntur vaſa obſtructiones, tumores, congeſtiones, tandemque calculi, aliaeque concretiones fiunt, quod partes terreſtres potiſſimum nimis cohaerent.

Excedens partium oleoſarum quantitas, ſolidas noſtri corporis partes adeo relaxat, vt neque excretiones rite peragi, neque ſecretiones fieri queant. Praeterea ex eadem cauſa vaſorum oſcula clauduntur, obſtructiones et inflammationes proveniunt, aquoſae partes cum reliquis non exacte commiſcentur, et tandem acria, vrentiaque generantur. Profluunt hinc nauſea, vomitus, ſitisque, indigeſtio, icterus, tenacitas, aliaque incommoda. A defectu vero oleoſarum ſanguinis partium, concoctio ciborum impeditur, quod impedimentum in pallorem, frigus atque debilitatem, ſimulque difficultatem excretionis foecum deſinit.

Aër cibis admixtus cum iis in ventriculum deducitur, chylo atque ſanguini admiſcetur, cui elaſticitatem et fluiditatem communicat; calore expanditur aër, atque ſanguis, vnde humores calore nimio admodum reſoluuntur. Vehementiori partium ſanguinem conſtituentium motu, calor oritur. Hic iuſto maior a viribus mouentibus pendet, quae cordi, et arteriarum contractioni inſunt. Inde motus ſanguinis celerior redditur, et calor praeternaturalis ab omni re producitur, quae contractionem cordis et arteriarum iuſto maiorem efficit. Producitur vero haec nimia cordis contractio, nimia acceſſione fluidi neruei ad cor, animi pathematis vehementioribus. Hinc diſſipatio partium ſanguinis ſubtiliorum, viſciditas, humorum reſolutio nimia, locorum errores, vaſorumque minimorum obſtructiones, inflammationes, orgasmus ſanguinis. Calore deficiente non ſatis reſoluuntur humores, ſe et excretiones impediuntur, cohaeſio partium male proportionata redditur, motus progreſſiuus ſupprimitur, indigeſtiones proueniunt ſanguisque minus elaſticus euadit.

Quod ad ſalia in corpore noſtro attinet; proportione eorum in ſanguine laeſa, itidem morbus ſubſequitur. Notum vero eſt, acida ſalia temperare calorem, reſiſtere putredini, partes terreſtres

reſtres reſoluere, ſtimulare fibram muſcularem, atque ad fortiorem contractionem diſponere. Etiam alcalina ſalia producunt calorem, humores reſoluunt, inteſtino motui putredinoſo fauent, humorem viſcidum disiungunt, corriguntque acidum. Media quoque ſalia, in ſoluendis humoribus, putredini reſiſtendo, ſtimulando fibras muſculares occupantur. Quamobrem ex mala proportione ſalium profluit omne genus morboſorum effectuum quod cacochymiae vel acrimoniae nomine pathologi complectuntur.

In abundantia vero partium ſalinarum acidarum, acrimonia acida cernitur, hanc excipiunt pallor faciei et lancinantes dolores. Humores coagulantur, et in minora vaſa ſe inſinuare nequeunt, itaque ſanguinis circulus perturbatur, profluuntque inflammationes et obſtructiones, ſudores acidi, exctementa caſeoſa et viridia, nimius appetitus, ſaliuae ſapor dulcis, alui tormina, eroſio lenta, vrina ſtrangurioſa, frigus. Ob defectum etiam ſalis acidi, partes terreſtres difficulter reſoluuntur, cohaeſio harum partium maior fit, itaque ſanguis quoque ad liberiorem circulum ineptior, obſtructio vaſorum indeque profluens imminutio ſe et excretionum,

Alcalina acrimonia ex abundantia ſalium alcalinorum venit, quae per alimenta ex regno animali in ſanguinem inferuntur, atque ſanguinis vehementiori circulatione aucta, augetur. Vi huius acrimoniae, humores nimis reſoluuntur, partium cohaeſio minor efficitur; vaſis dilatatis motus ſanguinis maior fit, imo humores in maius ſpatium expanduntur. Hinc eroſiones cutaneae, foetor cadauer olens vel toto corpore vel quadam parte, ſapor inſtar carnis, ſitis inexplebilis, proſtratus appetitus, foeces ſolutae nigrae, cadauerosae, urina acris, craſſa et ſpumeſcens. Adhaec continua ſiccitas in ſecretoriis organis ſeroſis variis, inflammationes faciles, atque ad gangraenam, et ſphacelum procliues, ſudor fere nullus, atque excretiones impeditae. Quoniam humores deficiente ſale alcalino aegre reſoluuntur, imminent ſtagnationes, obſtructiones, et inflammationes, acidum abundans non correctum, effectus offert ſimiles iis, qui ſunt ex abundante ſale acido.

Tandem

Tandem acrimonia muriatica oritur ex nimia quantitate cum cibis ingestorum salium, est ea coniuncta cum nimia humorum resolutione, ingenti siti, sapore salso, siccitate cutis, erosionibus cutaneis prurientibus, vrina acri putrescente superficie oleosa, doloribus rodentibus, deprauata lympha, et scorbuto muriatico. Deficiente sale neutro oritur putredo, nulla resolutio debita fit humorum.

Partes terrestres in sanguine, post destillationem remanentes in capite mortuo, quod si hae nimium exsuperant, efficiunt sanguinem spissiorem, circulationemque eius impeditam, obstructiones, accumulationes partium terrestrium; sicque generantur calculi in vesica fellea, vrinaria, renibus, aliisque locis, tandemque continuata partium terrestrium accumulatione gravissimi insequuntur morbi. Contra terrestribus particulis deficientibus, nimia tenuitas humorum exsurgit, seri abundantia iusto maior, fitque cohaesio minor partium, quae omnia alimenta morborum grauiorum praebent.

AMICE OPTIME bene scio haec pauca, quae ex virium mearum tenuitate conscripsi multum a nouitate abesse, itaque hoc scriptum tanquam nostrae aduersus te amicitiae testimonium considera. Tibi enim nomine comilitonum, moderante EXC. BOSIO disputando se exercentium, obtentam diligentiae honorum coronam gratulor, collatam in me hanc officii prouinciam tanto assumsi libentius, quanto mihi carior semper extitisti. Adsit rebus tuis fauens numen in posterum quoque, eueniatque tibi fortuna digna. Nos vero etiam absentes tua amicitia dignare. Vale.